



5303.

2

pp.  
1659  
M  
23  
—

Q. P. P. B. V.  
**IDEAM BONI PRINCIPIS;**

*ex Politicis,*  
Divino opitulante Numine,  
**SUB PRÆSIDIO**

*VTRI plurimum Reverendi, Amplissimi atq. Excellentissimi,*  
**DN. MICHAELIS WENDELERI, S.S.**  
Theolog. D. & PP.

Præceptoris ac Hospitis sui nunquam  
non devenerandi,

*placido eruditorum submittit examini*  
**M. GOTTFREDUS SCHLEICHERUS,**

Brigã-Sil.  
*In Auditorio Majori, horis matutinis*  
*ad d. X. Septembr.*

---

WITTEBERGÆ,  
Literis **JOHANNIS HAKEN,**  
ANNO M. DC. LIX.





Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the name "LIEBOWITZ" and the date "ANNO MDCCLXII".







I. N. 7.

Prooemium.

**D**isputaturi de naturâ Boni Principis, seu Regis, studebimus ubiqve brevitati, adhibitâ methodo, ipsis Philosophis familiari. Nam hi primò nomē, hinc rem, tandem controversias explicare solent. Sint itaq; duæ Sectiones, quarum altera nomen & rem, altera controversias nobiliores exhibeat.

SECTIO I. quatuor positionibus constans.

Positio I.

*Vox Principis varias tum appellationes, tum acceptiones admittit.*

*Explicationes.*

1. **N**E ab usitato Philosophorum more recedere videamur, operæ pretium est, ut prius Definitionem Nominalem, monente Scaligero, videamus, anteqvâm realem aggrediamur. Princeps quasi primum, seu præstantissimum, à Philologis salutatur caput, ob eminentiam, quâ alios in Republicâ antecedere, omnia gubernare & tueri solet, autoribus, tam Matthiâ Martino p. 2882. quàm Domino D. Petro Gregorio Tholozano JCTO lib. 6. de Republ. c. 4. p. 303. S. 1. aliisq;. Nec immeritò. Nā aliàs si plures uno summâ tenerēt potestatem, ac imperarēt simul, Principis vocabulo uti non liceret, propter præevendam contradictionem.

2. Variis Principes decorantur nominibus, iisq; sacris pariter atq; politicis. Vocat ipsos Spiritus S. **אֱלֹהִים**, id est, Deos Ps. 82. 1. (quanquam metaphoricè & propter similitudinem, quam cum Deo, respectu officii divini sibi delegati, obtinent) **Ἰεσοίας Rom. 13. 2. Cæsares Matth. 22. 21. Reges Lucæ 22. 25. Beneficos, Gnadige Herren/Dominatores, Gewaltige/Nutritios Ecclesiæ Es. 49. 23. Potestates supereminētes, Fundamēta terre & Clypeos, Plato eosdē σωτηρας, servatores, ἐπιτροπας, auxilia-**

A 2.

tores,





tores, Custodes itidem, *Dialog. 5. de Repub.* nuncupavit. *Homerus* eosdem appellat Pastores populorum, Cor populi. *Alii* alia ipsis attribuunt cognomina. Vocant enim eos Imperatores, Duces, Reges, Dominos, itemq; Patres publicos, quemadmodum Rex *Theodoretus* apud *Cassiodorum lib. 4. Epist. 42.* Principem Patrem dicit communem. Ut n. Pater suis bene prospicit liberis, ita quoq; Princeps omnia sua facta, institutaqve ad salutem subditorum referre debet. Eodem modo *Nicomachus*, ut *Flavius Vopiscus* refert, cum Senatus eligeret Imperatorem *Tacitum*, *Ingens est gloria*, dicit, *moriens* *is Principis Rempubl. magis etiam amare, quam filios.* Plura qui desiderat, adeat *Tholozanum c. 9. l. 8.*

3. Principis nomen est 1. *Generale*, & potius de Deo nostro effertur gloriosissimo, qui  $\alpha$  est &  $\omega$ , primus & novissimus omnium rerum ante secula, primus dignitate, præcipuus majestate, supremus autoritate, sapientiâ ac potestate. Deinde de Dæmone quoq; dicitur, quod sit Princeps aëris, Princeps tenebrarum, Princeps hujus seculi. 2. *Speciale*, & sic quem vis significat Magistratum. Quod nomen olim Romano compete-  
bat Senatui & præsertim illi, qui autoritatem & gloriam maximam in Rempublicam meritis suis & rebus clarissime gestis consecutus erat, si *Plutarcho* in *Africano*, item *Modestino* fides est habenda. 3. *Specialissimè* & ita absolute dicitur de eo, qui in aliquo territorio summam potestatem obtinet, atqve unice subditorum commodum spectat.

Positio II.

*Princeps est Monarcha, qui imperat secundum suam voluntatē, ita, ut primario subditorum, secundo Verò suam attendat salutem.*

Explicationes.

1. Monarchia proprie dicta est, quando unus imperat, summaqve, reliquis omnibus exclusis, potestate gaudet. Hinc quis sit Monarcha facile liquet. Ut autem hujus Monarchæ naturam rectius intelligamus, ex *Aristotele* scire debemus, quod



quod talis Monarcha ab eodem vocetur βασιλεύς, h. e. Rex, seu Princeps. Hinc illi, qui Regi, s. Principi subsunt, appellantur βασιλευόμενοι h. e. qui à Principe, seu Rege, gubernantur, 8. *Ethic. c. 13.* Ut autem non statim est Regnum propriè dictum, quod ita vocari solet: ita quoq; non statim est Rex, s. Princeps propriè dictus, qui ita ab eodem appellatur. Nam ut aliquis propriè Rex, sive Princeps, sit, requiritur, ut κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἐξουσίαν, id est, ex sua voluntate omnia agere omnibusq; imperare possit. Vide 3. *Polit. c. 16.*

2. Deinde sicut ad regnum propriè dictum requiritur, ut unus ille, summam potestatem habens, ad communem utilitatem respiciat: ita etiam hujus Regis, seu Principis, munus est, id agere, ut unicè observet subditorum salutem. Respicit autem ad communem utilitatem Rex, seu Princeps, quando omnes subditos paterno amore complectitur, omniumq; tantam, quantum pater filiorum, curam habet, sicut *Aristot. 8. Ethic. c. 12.* docet, idq; semper, quod honestum est, intendit, nec committit, ut divites aliquid patiantur, quod injustum est, aut pauperes injuriâ afficiantur, ut idem habet 5. *Polit. c. 10.* & tandem omnes ita gubernat, sicut ipse gubernari velit.

3. Non obstat Philosopho, quod jus Regis, à *Samuele I. Sam. 8.* descriptum, ea quoque comprehendat, quæ manifestam aliorum in se continent injuriam. Hic enim Scripturæ locus, secundum plurimos Theologos, non de jure, aut facultate justè agendi loquitur. Longè enim aliter Regis, seu Principis, officium à Spiritu S. declaratur *Deut. 17.* Sunt, qui dicunt, jus Regis, s. Principis, ibi vocari facta Regis iniqua, quibus tamen populus reluctari, aut se opponere jure non possit. Eodem sensu & iudex jus reddere dicitur, etiam quando iniquam de aliquâ re fert sententiam. Verùm quomodo hîc locus sit explicandus, ipse *Præses in peculiari disputatione, quam de Rege Judæorum habuit,* prolixè ostendit.

4. Nihil autem prohibet, quò minùs ille, qui omnia ad commune commodum refert, etiam suum commodum intendat, modò idem non primariò intendat. Quemadmodum enim



nim nauta, qui omnium, in navi viventium, salutem quaerit, etiam suam quaerit, cum & ipse ex eorum, quos navis continet, numero sit: ita quoque, qui communem totius populi salutem quaerit, etiam suam quaerere potest. Ita ipse *Aristoteles* declarat *lib. 3. Polit. c. 6.*

5. Porro requirunt hujus scientiae artifices, ut Princeps virtutibus studeat. Nam

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Rationem subjungit *Plinius in Paneg.* Quia flexibiles quamvis eumque in partem ducimur a Principibus, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. Simile non adeo dissimile nobis suppeditat *Plutarchus* in libro de *Germ. Repub:* Sicut in facie lens & verruca molestiores sunt, quam reliqua corporis macula: sic exigua peccata, ubi Princeps cernuntur in vita, pro magnis habentur. Quare *J. Caesar* suam quoque familiam omni suspitione carere volebat. *Plutarchus* in *Caesare.* Ita etiam comparatum erat cum *Scipione*, quando ipsi, captam *Carthagine*, milites bellam adducerent puellam: libenter, ait, acciperem, si essem privatus, non Imperator. Intellexit enim minus licere Imperatori, quam privato. Hinc *Tacitus 4. Annal.* malum vocavit, qui ex magna fortunam licentiam usurpet tantum.

6. Hic loci iterum distinctissimus est instituendus processus. Nam virtutes aliae intellectuales, aliae vero morales sunt. Virtutes morales omnibus praescriptae sunt hominibus. Ideoque Princeps, quatenus homo *συνδαίος*, non quatenus Princeps est, iisdem sedulam dabit operam. Cui sententiae *Augustinus* quoque in Epistola ad *Bonifacium Comitem* subscribit, inquit: Aliter servit quia homo, aliter quia rex est. Quia homo est, servit vivendo fideliter. Quia Rex est, servit, leges iusta praecipientes, & contraria prohibentes, convenienti rigore, sanciendo.

7. Nunc ad ipsas Principis in specie transeundum est virtutes, easque saltem potissimas. Primam igitur, quae omnibus magnificienda Principibus, sistimus *Pietatem*, quae tanquam fundamentum & fulcrum toti substernitur regno. Haec namque ad omnia utilis est. Ergo etiam ad bene gubernandam Rempubli-



publicam, De Numa Pompilio, Rege Romanorum II. refert Plinium, quod iste ferum populum pietate & utilibus legibus domuerit, suumque ita formaverit regnum, ut, pendente ejus regno, nemo eidem moverit bellum. Merito itaque Princeps aliis pietate prae luceat, etiam si virtus haec non praecise ad Politici; sed Theologi, spectet officium. Politicus a. semper eandem praesupponat. Alias si simpliciter ea a Principe, & Imperatore, exigeretur, sequeretur, Cyrum, Darium, Alexandrum M., Augustum, Trajanum, & caeteros vera destitutos pietate, Reges non fuisse.

8. Peculiaris quoque Principum laus est *Prudentia*, quae omne, quomodo regendi sint subditi, quid faciendum, quidve fugiendum sit, suggerit consilium. *Magnum*, ait Excellentissimus NOSTER BUCHNERUS, atque excellens humani animi bonum prudentia est, ubi adsit, converti in bonum noxiae res, & ubi absit, optima etiam malo esse possint. Et sane ita est. Audiat etiam sapientissimus Plato, quae viro prudenti tribuat elogium, quod scilicet sibi & Patriae consultor sit sufficiens, quodque armata praestet manu. Exempli loco adducere conducibile erit Severum, qui factio ipso docuit, non ad vires corporis, sed ad mentis vim pertinere consilium. Iste enim podagra cum laboraret, & conqverentes suos intelligeret milites de perpetuo Imperatoris sui morbo podagrico, alium, Bassianum nimirum, eligere volentes, mandavit, cogi in unum omnem exercitum, & praesentibus omnibus sermone habito, iussit occidi ejusmodi conqverentes, & addidit, ut animadverterent, non pedes, sed capitis mentem imperare, & bonum consilium. Hanc sententiam, non tam Horatianum illud: *vis consilii expers mole ruit sua*: quam Euripidis in *Antiope* corroborat effatum:

Γνώμη γὰρ ἀνδρός, εὐ μὲν οἰκῆνται πόλεις  
 εὐ δ' οἰκῶσι: εἰς τ' ἂν πόλεμον ἰσχύει μέγα.  
 σοφὸν γὰρ ἐν βέλδματι πολλὰς χεῖρας  
 νικᾷ, σὺν ὄχλῳ δ' αἰμαθία, πλεον κακόν. h. e.  
 Viri



Viri prudentia facit, ut bene habitentur civitates  
Itemque familia; & ad bella magnum ejus momentum est.  
Consilium enim sapienter initum multas manus

Vincit: Imperitia vero cum multitudine deterius malum.  
Arridet quoque nobis Hannibalis, quod extat in Cornelio Nepo-  
te, c. 1. §. 1. adducere testimonium, quod iste tanto prestiterit  
ceteros Imperatores prudentiam, quanto populus Romanus antece-  
dat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescunque cum eo con-  
gressus est in Italia, semper discessit superior.

9. Hinc ita inferimus. Sine qua virtute, nec domus, nec civitas,  
nec gens, nec universum genus humanum consistere potest, illa vir-  
tus valde necessaria est, praesertim Principi. Sine prudentia id fie-  
ri non potest. E. Major clara est. Minore etiam quotidiana nobis  
dictitat experientia. Imo etiam veterum suffragia habemus,  
qui eandem optimam vitae Magistram, consiliorum omnium  
inventricem, felicitatisque omnis procreatricem & moderatri-  
cem nominare consueverunt. Nam Prudentiae beneficio o-  
mnia promovebantur in melius, errata corrigebantur, sediti-  
ones sopiebantur, omnia ordine & tempore peragebantur,  
ditabatur Respub., & facta tecta omnia retinebantur. Miseram  
contra proclamant Respub., ubi imprudens & ignarus artis  
gubernandi erat magister, quique primum cum sua discebat  
experientiam, quodque omnia praeposterè gereretur ibi, & omnia  
quoque paulatim succederent.

10. Ad alteram boni Principis ordine nunc devolvimur  
virtutem, *Justitiam*, quae ad augendum, illustrandum, stabi-  
liendumque regnum, tanquam immobile fulcrum, valde  
conducit. Haec enim docet honestè vivere, alterum non  
laedere, jus suum cuique tribuere. Quae singula tam firmiter  
statuminant Respublicam, ne ruere possit. Exemplar nobis  
sunt Reges Graeciae. Graeci namquam diu cum Justitia impera-  
runt, tam diu eorum Imperia floruerunt. Cum vero potesta-  
te sua abuterentur, experiebantur ruinam. Egregium quoque  
ac regium Tiberii Constantini extat elogium, qui nihil justitiam  
prae-



præstantius & æquitate firmiter existimavit. Idcirco cum iste Mauricio, generi suo, principatum comitteret, dixit, quod æquitas & justitia sint præcipua optimi principis insignia. Contrà verò propter Injustitiam, injurias & diversos dolos, regna translata sunt de gente in gentem, regis domus & clarissimæ familiæ fuerunt extinctæ, & populus unà cum Principe corrui.

11. *Clementiam* quoque, virtutem haud postremam, accedere liceat, quæ maximum Imperiorum ornamentum, imò & salus certissima est, uti *Seneca* habet *lib. 1. de Clem. c. 3.* Hæc autem neminem magis, quàm Principem, decet. Interim hæc cautela quædam opus est, ut ita suam Princeps exerceat clementiam, ne patiatur justitia. Quapropter eadem commixta sit severitate & autoritate, ita quidem, ne legibus divinis, & naturalibus adversetur. Indulgentia enim nimia bonos ad scelera invitat, malis a, pejora committere calcaria addit, ut deinceps regna, aliàs florentissima satis, interitum pati cogantur. Ita olim in Monarchiâ comparatum erat Romanâ, quæ collapsa esset propter nimiam *Pertinacis* humanitatē, nisi ei subvenisset severitate *Alexander Severus*. Hanc nostrâ stabilit sententiam *Tacitus Agric. c. 19. 4.* *Omnia quidem, dicit, scire debet Princeps, non autem omnia persequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem accommodare, nec pœnâ semper, sed pœnitentia contentus esse.* Conducit ergò quàm maximè Regno, Principis clementiam severitate commistam esse.

12. *Fortitudine* tandem Principem munitum cupimus. Republicæ aliàs tristissimam, vel propter audaciam nimiam, vel timiditatem turpissimam, vaticinamur conditionem. Viva liceat intueri exempla Heroum fortissimorum. Quid, quæso, Alexandrum M. extulit, nisi fortitudo? Omnia namque aggrediebatur pericula, eaque sustinebat honesta. Nam ita *Cornelius Nepos in vitâ Eumenis c. 3. §. 4.* meminit, milites Macedones tunc habitos esse fortissimos, quòd summam imperii potirentur. Quid referam de *Datane*? Hic vir audit fortissimus, maximi quæ consilii, cujus gesta, quæ ei prospere

B

re



re cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii acciderunt. *Cornelius Nepos in vitâ Datamis c. 1. §. 1.* Ergo omnis Princeps fortitudine præditus sit, necesse est.

13. His accedit etiam *autoritas*, quæ immensam Imperii promovet Majestatem, eique opitulatur. Hâc ratione Princeps furentes seditiones sedare, iisdemq; resistere potest. Ita Julius Cæsar, qui summâ & inflexibili suâ autoritate militum turbas civiles ita componebat, ut celeriter ad suum redirent officium. *Lucanus lib. 5. de Cæsare.* Quid autoritas magni viri possit, eleganter, ut omnia, explicat *Virgilius lib. 1. Æneidos*, his versibus:

*Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem*

*Conspexere, silent, arrectisq; auribus adsunt:*

*Ille regit dictis animos & pectora mulcet.*

Molestum foret omnia adducere exempla. Unico adhuc rem statuminare placet exemplo, & quidem Regum Persarum, ad eam suam magnificentiâ autoritatem, ut omni sese hominum subtraxerint conspectui. Rationem subjicit *Livius lib. 24. titante Arnisæo lib. 1. c. 9. p. 203. quod putarent, homines minus, quod quotidianum est, revereri, quam quod rarum.* Ideoq; subditis, si Regem, plateas permeantem, inspexerint, capitalis dicebatur pœna.

Positio III.

*Principi opponitur Tyrannus, quemadmodum Viti-  
tiosus virtuoso.*

*Explicationes.*

1. Vox Tyranni oritur vel à *Ἰεργυρνεύειος* hoc est, latè regnare, vel à *τῶν τυρρηνῶν*, id est, à Tyrrenis. Olim honestum munus erat, & Principem significabat: postea tantum ad illos est restricta, qui per violentiam imperio abutebatur. Sicut autem opposita, juxta se posita, magis elucescunt: ita ex naturâ regni facile judicari potest de Tyrannide, adeoque etiam de Tyranno. *Labes namque ex Rectis patescunt, ait Aristoteles 3. Polit. c. 7.*

2. Ut igitur Regnum, in se consideratum, est respublica in-  
ter



cer rectas optima: ita Tyrannis inter corruptas est pessima, ut docet Arist. 8. Eth. c. 12. Nam quod optimo est contrarium, est pessimum, idem dicit loco citato. Necessè est prime & divinissima resp., quæ est regnum, transgressionem, quæ est Tyrannis, pessimam esse, ut quæ à rectâ gubernandi ratione plurimum abest, ut iterum scribit 4. Polit. c. 2. Et hanc ob causam 4. Polit. c. 8. Tyrannidem vocat minimam omnium rerum publicarum. Ergò hinc liquet, quòd Tyrannus, tanquam vitiosus, rectè opponatur Principi, ut virtuoso.

Positio IV.

*Tyrannus est summus, & propriè dictus Monarcha, qui summam potestatem habet, & ad suum commodum unicè respicit.*

*Explicationes.*

1. Ut regnum non statim est propriè dictum, quod ab Aristotele regnum vocatur: ita nec Tyrannis propriè dicta est, quæ ita vocatur. Tyrannis accipitur pro regno Barbarorum, & pro repub. in quâ unus extra ordinem admissus subditorum salutem primariò non observat. Modo priori Tyrannis aliàs appellatur *Dominatus*. Est autem *Dominatus* Monarchia, in quâ unus summam potestatem habet, & primariò suam, secundariò salutem subditorum attendit. Ita autem vocatur, quòd sicut Dominus domesticus, seu paterfamilias, in imperando suum commodum primariò, servi autem tantum secundariò respicit, ita etiam in Dominatu Politico qui imperat, idem faciat. Vide Arist. 3. Pol. c. 6. Talem Dominatum tribuit Bodin 3. de repub. c. 2. Principi Turcarum, qui se etià Sultanum, hoc est, Dominum appellat. Modo posteriori Tyrannis propriè dicta est Monarchia, in quâ unus summam potestatem habet, & suam utilitatem unicè attendit. Ita Arist. 3. Pol. c. 7. Hinc nostra Positio fluit.

2. Ad hunc ipsùm Tyrannum, propriè talè, requiritur, ut sic Monarcha, id est, talis, qui solus imperet. Nam ubi uno plures imperant, ibi non potest esse Tyrannus. Est enim Monarcha.



cha. Quæ in re cum Rege & Domino, qui etiam Monarchæ sunt, convenit. Inter illos autem tres Monarchas optimus est Rex, pessimus Tyrannus, & Dominus inter Tyrannum & Regem est medius.

3. Deinde requiritur, ut unus summam potestatem habeat: quod rursus omnibus Monarchis, hoc est, Regi & Domino, commune est. Nam quando *Aristoteles* 4. Polit. c. 10. requirit, ut unus, qui in rep. Tyrannicâ imperat, sit ἀντιθεός, id est, nullis legibus, aut rationibus reddendis obnoxius, id nequaquam Tyranni nota, seu proprium est, cum & Rex in regno, & Dominus in Dominatu sint tales, hoc est, qui summam potestatem habent.

4. Tandem ad Tyrannum requiritur, ut non subditorum commodum, sed suum intendat tantum, seu tantum suam utilitatem observet. Qui autem suam utilitatem unicè intendit; nullam rationem honesti habet, sed tantum, quod est utile, agit. Hæc *Arist.* Pol. 10.

Sec̃tio II. exhibet nonnullas quæstiones, easdemq; nobiliores.

Q. I. An Princeps sit subjectus legibus?

1. Discrimen hîc observandum est inter *leges divinas, naturales & civiles.* 2. Inter *Principem summum & inferiorem,* seu qui summam potestatem in certo territorio possidet, & qui alterius potestati subest. Omnis Princeps, etiam summus, subjectus manet Dei & naturæ legibus, quarum respectu adhuc civis est, & quibus, sicut alii cives, obtemperare tenetur. Quod *Cambysi* respondent *Consiliarii* apud *Herodotum* lib. 3. regi jus esse, quidquid fecerit, eo nimium attribuitur regum licentia, quæ spectatur tantum erga subditos, non erga Deum & naturam. Utriusq; enim *leges* sunt superiores. Ideoq; contra Dei & naturæ statuta summæ potestati nihil licet.

2. Aliter sese res habet cum legibus civilibus. Nam quia quilibet summus Princeps summam in suâ repub. habet potestatem, à nullis legibus, in repub. latis, cogi potest. Nam *leges*



ges erunt in principem latæ, vel à superiori, vel à subditis, vel ab ipsâ summâ potestate. Non primum invenit locum; quia summus princeps superiorem in suâ repub. non agnoscit: non secundum, cum implicet contradictionem, si subditi sanciant leges: non tertium; quia nemo in se habet imperium, aut seipsum cogere potest.

3. Quamvis autem à legibus cogi non possit, aut prohiberi: tamen Tacitus 4. Annal. malum vocat omnem imperantem, qui ob magnam fortunam, præter licentiam usurpat nihil. Rex enim, seu Princeps, non est, nisi vir bon.; ideoque honestatem, licet non coactus, sequi tenetur, licentiamque suam legibus alligare, quod in iis justitia & cæteræ virtutes continentur.

4. Cum hæc ita sint, & licentia sæpe Reges, seu Principes, corrumpat, consuetudo introduxit novum modum per jusjurandum continendi eos intra virtutum limites. Sunt autem juramenta non unius generis. Nam quædam obligant Principes ad leges Reipublicæ, & exiguntur ab iisdem legibus, ut ab Imperatore Germanorum, Rege Polonorum, Danorum &c. Ea imminuunt jura Majestatis in Principibus, cum is, qui caput est summæ potestatis, potestate leges ferendi se privet, dum promittit, se immunitates, privilegia & leges servaturum. Contra alia juramenta obligant tantum ad honestatem, seu Dei & naturæ leges, nec summam potestatem imminuunt. Tale fuit quondam regum Gallorum juramentum: *Juro per Deum omnipotentem, & promitto, me justè regnaturum, judicium, æquitatem, ac misericordiam facturum.* Bodinus de rep. c. 8.

*Q. II. An tutius sit, si Princeps per Electionem, an vero per Successionem, constituatur?*

1. Multi sunt modi ad rempubl. perveniendi. Distingvimus (1) inter constitutionem mediatam, quæ fit mediantibus hominibus, & immediatam, quæ sine hominum ministerio alicui confertur; quemadmodum *Mosi, Josue, Samsoni, Davidi & reliquis.* (2) Inter constitutionem ordinariam ac extraordinariam. Ordinaria peragitur Successione atque Electione.



Successio fit vel ex testamento, vel ex jure. Electio est suffragii, vel liberi. Extraordinaria fit jure bellionem, jure patritio, jure donationis, sortitione & fortuna. (4) Inter regnum constituendum, & constitutum. Si autem leges constitutæ sunt, ut electum postulent Regem, eas nemo transgredi debet temerè, ne innovationes introducantur. Omnis n. mutatio periculosa est. (5) Inter Magistratum summum, & inferiorem. De inferiori nullum est dubium, quin electio locum habeat. Nam qui eruditione, prudentiâ & virtutibus gaudent, jure sunt evehendi. Nos agimus de constitutione mediata ac ordinariâ; de regno non constituendo, sed constituto; de magistratu non inferiori, sed superiori.

2. Limitatâ jam thesi, successionem præferimus electioni, sequentibus moti argumentis: 1. Primum sumitur à *seditionum evitatione*. Nam oriuntur haud rarò in eligendo Rege seditiones, conspirationes, ac aliz factiones, præsertim quando non inter omnes convenit de electione. 2. *A consequente Principis electi periculo, & mille incommodis*. Citiùs enim malus eligi potest, quàm bonus. Nam qui antea fuit optimus, postea pessimus evadere potest. Quippe deterius nihil est, quàm quod in altum assurgit. Aliud quoq; nobis suggerit *Plinius in Panegyrico*, inquam: *Tum demum non judicari potest, an meruerit honorem, postquam adeptus est*. Pari modo etiam hoc valet, quòd æqualitas contemptum, odium, metum & invidiâ pariat. Insuper tantâ iste autoritate, qui ex inferiori stémate ad imperiù evehitur, nõ pollèr, quanta sæpè successor. Tandè & hoc metuendum in electo Rege est malum, ne odio prosequatur, deprimat atq; opugnet illos, qui in eligendo ab ipsius non steterunt partibus. (3) *A jure divino Deut. 17. 20.* quod jubet, *ut Rex regnet longo tempore & filius ejus*. Quid aliud svadet Spiritus S., nisi successionem? Idem probant exempla tam sacra, quàm profana. (4) *A juris naturalis suffragio*. Principis aliàs filius infeliciores esset filio gregario, qui possessiones paternas obtinet, si nil delinquens successionem privaretur. (5) *Ab insigni modo.*



modo. Conducit succedere Regem. Nam subditi libentius cō-  
sueti & nato Regi, quàm facto & novo parere solent. Deinde  
quia sine rectore in interregnis periculo plenissimis Respubli-  
ca fluctuat.

Q. III. An bono Principi interdum simulare & dissimulare liceat? A.

I. Ardua sanè res est hanc decidere quæstionem. Hodiè enim hæc controversia multorum Politicorum adeò occupavit animos, ut ne latum quidem unguem discedere cogitent; inter quos primas tenet, vaserrimus pessimarum machinarum fabricator, Machiavellus, qui Principem hypocritam instruere non veretur; quemadmodum patet ex ejusdem tractatu de Principe c. 18. ubi ita scribit: *Verùm hanc naturam plurimum refert, ut quis rectè nòrit colore vestire cum simulando, iùm dissimulando: Homines enim adeò simplices sunt, adeò presentibus necessitatibus obsequentes, ut qui fallax, & simulationis artificio eruditus sit, statim sit habiturus, qui se illi decipiendum tradat, quò magis tales homines cavendi erunt, eorumq; artificium arte frustrandum.*

2. Nos aliter edocti, alià, & quidem tutiori, incedemus vià, præsertim si res nostras distinctè proposuerimus. Cuius enim in propatulo est, quòd (1) dissimulatio alia sit politica, alia religiosa. Nam simulare non debet in iis, quæ ad Dei gloriam, honestatem, & subditorum salutem pertinent. (2) Quòd alia sit jocosa, alia officiosa, alia tandè perniciosa. Machiavellus ultimam mordicè defendit, & ita ex bono Principe, Dei vicario. Tyrannum efficit. (3) Distingvimus inter vocè simulationis, quatenus notat expressum mendacium, & quatenus egregium prudentiæ effectum designat. (4) Inter prudentiam abusive sumtã, & inter eam, quæ per licita media rectam ad honestatè ostendit viam. (5) Inter dissimulationem, quam ideò Princeps  
insti-



instituit, ut ministrorum subditorumq; exploret fidem vel veritatē,  
& inter simulationem illicitam & illegitimam. (6) Inter simulationē,  
quam adhibet Princeps ob Reipublicæ salutem, & ejus everisionem.  
Simulare debet Princeps injuriis laceffitus, nec vindictam intem-  
pestivam sumere, ne calamitatem majorem sibi & Reipublicæ accer-  
sat, & deinceps in majorem potentiorum incurrat contemptum.

3. His præsuppositis dicimus, quòd bonus Princeps simulare pos-  
sit. Nam cum Philosophis Theologi consentiunt, non semper nec  
ubiq; dicendum esse verum, nec omnem simulationem in vitio esse,  
aut ab ingenio viri honesti alienam, adeoque eò minùs Principi vitio  
vertendum, quò pluribus & gravioribus negotiis ipsum invigilare  
jubet respublica. Nam duo sunt, ex professo mentiri, & simulare, seu  
celare veritatem, scilicet quando simulatio sumitur pro effectu pru-  
dentia, aut dolo bono. Quæ verò metæ Principi figantur à rectâ rati-  
one, explicat in se *Præses* prolixè in *Momli Philosophiâ* p. 774. & seq.

*Q. IV. An Principi Christiano, adversus hostes, bellum ge-  
rere liceat? A.*

Circa statum controversiæ distingvamus necesse est (1) inter  
bellum licitum, sive justum, & illicitum sive injustum, (2) Inter bel-  
lum publicum, & privatum. Sermo nobis est de licito & publico.  
Nam extat *mandatum divinum*, quo Deus bella in V. T. præcepit, He-  
roas insigni peritiâ militari instruens. Sic ad belligerandum im-  
pulsit *Mosen, Josuam, Gideonem, Saullem, Davidem* &c. Miles erat *Centu-  
rio* in Capernaum, cujus fidem ipse Salvator commendat *c. 18. v. 16.  
Matth.* Miles erat *Cornelius*, qui tamen vir religiosus cum totâ domo  
suâ *Act. 10. 2.* Idem *jure naturali* constat, vim vi repellendam esse. Tan-  
dem *finis belli* idem ostendit, qui est, Rempubl. sartam & testam con-  
servare, pacem acquirere, & hostem repellere.

*Q. V. An Principi cū infidelibus fœdera inire concessū sit? A.*

Distingvimus inter fœdera, quæ eminentè periculo Reipub. com-  
modum promovent, & inter ea, quæ aliter sese habent. Nam legiti-  
ma juris naturalis defensio est. Deinde quia exēpla plurima fœderū  
inter diversæ religionis homines initorum præstò sunt. Sic Abraham  
cum Abimelecho, Rege Palæstinorum, Isaac cum Abimelecho, Rege  
Geraris, Jacob cum Labano, & Josua cū Gibeonitis, fœdus pepege-  
runt. Constat abundè, quantum bonum ex pace Passaviensi, inter Lu-  
theranos & Pontificios transactâ *Seculo XVI.* hauserimus.



ULB Halle

3


006 302 114



VD 17











5303

1659  
23  
2

Q. P. P. B. V.  
**IDEAM BONI PRINCIPIS;**  
*ex Politicis,*  
Divino opitulante Numine,  
**SUB PRÆSIDIO**  
*VTRI plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,*  
**DN. MICHAELIS WENDELERI, S.S.**  
Theolog. D. & PP.  
Præceptoris ac Hospitis sui nunquam  
non devenerandi,  
*placido eruditorum submittit examini*  
**M. GOTTFREDUS SCHLEICHERUS,**  
Brigã-Sil.  
*In Auditorio Majori, horis matutinis*  
*ad d. X. Septembr.*

---

WITTEBERGÆ,  
Literis **JOHANNIS HAKEN,**  
ANNO M. DC. LIX.

